

ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9



Disquisitio Politica,
De
**GENUINA REIPUBLICÆ
CONSTITUTIONE,**

*Ejusdemque in varias Species, scilicet Monarchiam,
Aristocratiam, nec non Democratiam Divisione.*

Quam
ANNUENTE DEO,

PRÆSIDE

JOHANNNE GRAFTIO,
Professore Publico Ordinario

Publicè defendet

JOHANNES HERMANNUS Zwitck/
Mœno-Francofurtanus.

*In aula Philosophorum nova
die Junij.*

Tubingæ, LITERIS KERNERIANIS,
M. DC. LVI.

DISPUTATIO POLITICA
DE
GENUINA REPUBLICA
CONSTITUTIONE
FUNDAMENTA QUORUNDAM SPECIEI LIBERTATIS
P A R E N T I
S U O
C H A R I S S I M O .

JOHANNES HERMANNUS SAE

MAG. FRANCISCUS

MAG. HILDEBRANDUS

ANNO

IN ACADEMIA LIBERTIS REIPUBLICAE

M. DC. LXX.



SI unquam de materia cujusdam, ex Prudentia Civilis parte Speciali oriunda, nobilitate, inter Politicos concertatio solennis instituenda fuit; Tum hac de Republica præcipuè est illa, quæ ab universis ferme Politicæ industriis cultoribus digna censetur, de qua præ cæteris in solenni Disputationis publicæ actu, non minus ingeniosa, quam fructuosa instituaturs disceptatio. Hæc enim est illa, quæ civitatis moderatur salutem; Hæc est illa, quæ Imperatores, Reges, nec non universos quosque salutem dirigentes publicam, ad satietatem ferme erudit, quousq; regnandi extendere debeant potestatem, ne ipsis accidat, quod Balthasari, qui cito expalluit, cum manum in pariete scribentem vidisset: quod Herodi, qui citò contabuit, cum manum angeli percutientem sensisset. Graviss enim est pœna Magistratus, si nec probè vivat, nec ejusdem imperium, secundum Statuta & Leges ritè rectèque administret. Larga verò compensatio eundem manet, cui salus publica cordi est. Hoc ritè mecum perpendens, præ cæteris præsentem de Republica Disputationem, quin instituerem haud potui. Quod ut cedat feliciter, faxit Deus.

Ut autem à Definitione primùm exordiar. Respublica est ordo Civitatis inter imperantes & parentes sub regimine sum-

*ma potestatis juxta leges. 2. Hujus materiale sub civitate exhibet Societatem hominum civilem in certo loco cohabitantium. Formale importat ordinem inter imperantes & parentes, qui complectitur 1. Statum ordinatae constitutionis; 2. Modum & actum legitima Administrationis. * Quoniam oritur ex applicatione actionum moralium ad civitatem ordinandam, imò ipsa nil aliud est, quam ordo civitatis per applicationem introductus, hinc Actionum illarum in Politicis non amplius habetur ratio, sed loco illarum cognosci debet velut *Subjectum*, ad quod fit applicatio. Et hoc rectè quoque præmittitur Mediis, quia id ad quod fieri debet applicatio, prius est iis, per quæ fieri solet. Ut verò attinet Politicam non eadem omnium mens est: nonnulli *Objectum* volunt, quia ut Ethica circa actiones morales in genere, ita Politica circa Remp. gubernandam occupatur: Alii *Finem internum* vocant, quia formaliter est ordinis in civitatem introductio, & administratio, quam ut finem in ista arte per omnia media hic attendimus: Alii tandem *Subjectum* faciunt ratione tractationis & applicationis. Nos pro diversa vocis acceptione omnes admittimus denominationes, nam si materialiter capiatur pro civitate seu multitudine hominum unita, in quam introducendus est ordo regiminis, rectè dicitur *Subjectum*, si verè formaliter sumatur pro ordine introducendo, *Finis internus* erit, si autem utrumque complectatur, *Objectum operationis* ratione finis externi salutare potest, At, ob naturam complexorum, in quibus subjecti denominatio potior est, convenientissimè *Subjectum* nuncupatur. * Dicitur Res, quod Res, Personas, Actionesque comprehendat, & publica, quasi populi, quòd populum in communi attineat. Sumitur autem 1. Materialiter, pro civitate, seu multitudine civium unita & publico rerum usu. 2. Formaliter, pro ordine ipso seu statu ordinato civitatis. 3. Conjunctim, prout materiale & formale simul involvit. 4. Concretè pro imperio, quod summam potestatem habet. 5. Analogicè pro civitate seu municipio cui nomen tribuitur, licet summam potestatem non exercent. Vocatur alias civitas, Politia, status publicus, quorum illud materiale magis; hoc v. formale respiciunt. Differt autem à civitate & Urbe. Urbs dicitur copiam ædificiorum, civitas cœtum hominum unitum in ea. Addit ordinem regiminis, & sic civitas quasi corpus est, vita ac anima; Urbs verò habitationis locus. * Remp. autem definiri posse liquet, quia est aggregatum ordinatum, cujus multi-*

tudo

de Genuina Reipublicæ Constitutione. 3

tudo unita per ordinem ad naturam quasi Entis per se revocatur. Definitur autem ex genere Relatorum, quia est ex iis, quorum esse consistit in inutuo ad invicem respectu. *Genus* facimus *Ordinem*, per quem intelligimus harmonicam illam convenientiam inter imperantes & parentes, à summa potestate gubernata ad felicitatem publicam. Hoc genus est legitimum, quia essentialiter convenit, & in quid prædicatur non convertim. *Differentia* integratur tribus 1. *Materia & terminis Relationis*, qualis est Societas in Imperantibus & Parentibus. 2. *Causa & fundamento*, ut summa potestate ejusque regimine. 3. *Norma Legum*. Quippe priora duo Essentialia sunt omnibus relatis, & tertium accedit ob conditionem habitus. * Hæc definitio rectius intelligetur, si resolvatur per *Causas*, ex quibus concinnata est. Sic *materia* loco *subjectum* est *civitas*, quia in illam introducitur ordo. *Objectum* propriè non habet, quia datur tantum in *qualitatibus & actionibus*, non verò in aliis sive personis sive *rebus*, nisi quatenus hisce sunt instructæ, & sic, *nisi quatenus liberam* agendi potestatem præsupponit, terminatam ad civitatem ejusque actiones gubernandas, civitas etiam pro *Objecto* haberi potest. *Forma* est in *harmonica illa convenientia*, quæ consistit in gubernatione summæ potestatis juxta leges ad certum statum, quo fine requirit tria *constitutionis media*, supra posita, ac præterea *actum administrandi*. *Efficiens* vel est *prima*, ut Deus summus mundi Monarcha, vel *secunda*, quæ tum est *procreans*, ut Fundatores & Legum lattores primi: tum *impellens*, quæ iterum est vel *interna*, & per se talis, eaque & naturalis, ut Lux naturæ, & voluntaria industria & Ars: vel *externa* & per *accidens*, ut metus, indigentia, ex quibus observatis diversæ diversorum opiniones hic componi possunt. Finis ultimus est felicitas sive salus publica, qui itidem Politicæ finis est, quem obtinere intendis per Rempubl. unde finis externus & habitus & Objecti hic velut etiam in aliis idem est hunc autem pone sequitur Pax & Tranquillitas. Relativus Finis est in exercitio Religionis, justitiæ, artium, &c. *Subordinatus* verò in communione bonorum reponi potest. Reipublicæ Materiale civitas est. *Est autem Civitas unio voluntaria cætus hominum, seu societatis Familiarum in certo loco cohabitantium ad Rempubl. constituendam. Hujus Termini sunt cives. Est autem civis homo socius multitudinis sponte unitæ ad Rempubl. II. Civitas quæ considerari potest dupliciter, 1. juxta cætum hominum, 2. juxta locum commora-*

- tionis; & utrobique notanda erunt tum principia & partes; tum*
 5. *subjecta & species.* * *Civitas* in Politicis ab omnibus tractanda cense-
 tur, sed alii *Subiectum* volunt, alii pro *Objecto* habent, & quidem modo ra-
 tione Reipubl. modo verò ipsius *Politica* respectu ita indigitant. At duo
 hæc ut maximè diversa confundi non debent, hinc civitatem ratione Poli-
 ticæ *Subjectum denominationis*, & Reip. ratione, tum *Subjectum*, tum Ob-
 6. *jectum* pro diverso respectu denominari posse ostendimus. * *Civitas*
sumitur quatuor modis. 1. *Pro structura ædium*, seu mœnibus & ædibus,
 sic rectius urbs diceretur. 2. *Pro incolis seu civibus* horumque cætu unito,
 quod propriè designat. 3. *Pro ordine civium*, & sic cum Rep. coincidit.
 4. *Concretè* pro hoc vel illo oppido, in quo est cætus unitus, sive cum Rep.
 fuerit, sive absque ea. Alias *vocari* potest societas civilis perfecta in certo
 7. *loco*. Ut verò differt ab urbe & Rep. supra ostensum est. * *Definitus*
 autem iterum ex Relatorum ordine per *unionem*, quia in eo Essentialiter
 occupatur, ut multitudinem civium per societates diversas conjungat.
Differentia, quia ex *causis* depromitur ex earum enodatione plenius pate-
 8. *scet*. * *Inter Causas* pro *materia* est *hominum multitudo*, aut *societas fa-*
miliarum. Formam largitur unio accedens per societates diversas quam
 consequitur communio animorum, & usum, & huic porro addit ordi-
 nem, qui est inter imperandum & parendum. *Efficiens* est *Voluntas*, quæ
 unionem istam in multitudinem introducit, & *Finis* tendit ad Rempubl.
 constituendam, quam voluntas hac conjunctione intendit, ut finem Poli-
 ticæ internum, quemadmodum ille ad externum ulterius applicatur.
 9. * *Ut a. civitas* est ipsa relationis forma, ita *Cives* sunt *termini* seu *Relata*
 ejus, quæ idem nomen retinent. *Civis* definiri solet homo liber, qui alte-
 rius potestati est subjectus, sed male: quia ut libertas non omni ubique
 competit, ita Subjectio subditi potius est, qui respectum cum imperante
 ad Rempubl. habet talem, qualem civis ad civitatem. Hinc civis, qui ra-
 tione societatis civilis tantum ita dicitur, datur etiam imperans cui tamen
 opponitur subditus sub Rep. imò peregrinis aliisque etiam tota com-
 petit. Rectius ergò à nobis describitur per ea, quæ civitati sunt essentia-
 lia, ad ejus *Concretum* accommodata. Hinc *Genus* desumimus à *subjecto*
 Homine, quod Relatorum solemne est. *Differentiam* verò adjungimus à
Fundamento & terminis per causas temperatis. *Civium a. distinctiones*
 sunt varix, nam dispescuntur 1. in *Veros*, qui *jus civitatis habent*, confi-
 stens

stans in usu privilegiorum & libertatum, jure suffragiorum, & potestate
adeundi Magistratum. Et analogicè tales, quo pertinent *Honorarij* cives
& *inquinati*. Veri duo sunt *Indigena* vel *Alienigena*, sive *Urbici* sive *Pro-*
vinciales, quibus accedunt *Coloni* & *Municipes*. Ad *alienigenas* referun-
tur *incola* seu *Advena* & *confederati*. *Indigena* tria sunt vel *Potentiales*, ut
senes, qui fuerunt, & pueri, qui erunt; vel *Actuales*, iique ulterius in *plenos*
& *semiplenos* ab aliis multis modis dispescuntur. Hi autem jus civitatis
consequuntur tribus modis. Vel 1. per nativitatem, ut *Indigenæ*, vel per
manumissionem, ut olim *Liberti*, vel per cooptationem, ut *Alienigenæ*
* *Civitas* non tantum aggregatum est ex cætu familiarum unito, unde no-
vam considerationem *materialem* & *formalem* subit, sed etiam connota-
tivè involvit locum, in quo degit cætus ille aggregatus, & hinc iterum
emergit duplex tractandi respectus. 1. *Localis* & *Architectonicus*, quem
Subjectivum etiam & *materialem* per analogiam vocant. 2. *Civilis* & *Pra-*
cticus, quem *formalem* volunt. De utroque sub distinctis *punctis* porro
uberius erit agendum. Habent autem id commune, ut *Principia* & *Sub-*
jecta utrobique eadem recurrant, licet sub diversa consideratione, quare
utrobique etiam repetendi erunt termini, sed sub aliis atque aliis *Defini-*
tionibus. 1. *Vrbs* est *receptaculum* ex *Pagorum* *multitudine* *con-*
stans, *adificiis* ac *ornamentis* *ad commoditatem* *exornatum* & *com-*
munibus munimentis *ad securitatem* *munitum*. 2. *Partes* *ejus* *sunt*
vel constituentes, *quales* *sunt* *Pagi* (*materialiter sumpti*) *qui ex vi-*
cis, & *hi ex villis* *constant* *vel integrantes*, *quæ sunt* *adificia* & *spa-*
cia, *quorum illa iterum* *sunt publica* *vel privata*, *ut civium* *ades*.
3. *Subjecta Majora* *sunt* *tum Regio*, *quæ est pars* *terræ* *urbes plures*
& *ditiones aliquot continens*: *tum Regnum*, *quod plures regiones*
complectitur. * Ex *Duplici* *consideratione* *civitatis*, *quam supra ad-*
struximus, *meritò præcedit*, *quæ Localis* *dicitur*, *quia facit ad intelligen-*
tiam alterius, *dum terminos in materiali explicat*, *qui ibi super addito for-*
mali investiendi *recurrent*. * *Vrbs* *dicitur* *ab Vrbo* *seu Vrvo*, *quod He-*
truscorum lingua *est curvatura aratri locum designo*, *nam olim religionis*
causa *urbes ita primum definiri solebant*: *vel ab Orbe*, *quòd in orbem ful-*
cus duceretur. *Vocatur* *alias oppidum*, *quod opponatur hostibus*, *vel po-*
tius ab ope & *opibus*. *Sunt*, *qui volunt*, *Urbes dici*, *quæ sunt majores*, &
oppida minora, *sed hoc non meretur calculum antiquitatis*. Et quædam
illa-

10.

11.

Disquisitio Politica,

- illarum olim dicebantur Coloniae, Fora, Praefecturae, Legionae; Hodie Metropoles, Regiae Emporia, quae ut ab invicem differunt alibi cognoscuntur. * *Definitur* autem ex τὸ πᾶς, unde *genus* est receptaculum. At *Differentia* sumitur ex *partibus* constituentibus *Finibus & Mediis*, ex quibus *causae* etiam facile aestimari possunt. *Partes* sunt *Pagi*, de quibus sub praescripto. *Finis* sunt *Commoditas & Securitas*, quae praesupponunt aut involvunt *necessitatem, sanitatem, voluptatem*, ad quae omnia respiciendum in urbium praesertim extruptione, juxta *circumstantias loci*, cujus attendenda est *quantitas & qualitas*, ac *situs*, qui juxta plagas caeli & elementa est exigendus. *Media* sunt *aedificia & ornamenta publica ac monumenta*.
13. * *Partes* hic occurrunt duplices; 1. *Constituentes*, quas sic vocamus, quia sunt quasi principia urbis, ex quibus constituitur, si jungantur, sed quia dupliciter capiuntur; semel *materialiter*, ut sunt *receptacula* tantum, & deinde *formaliter*, ut societates innuunt, hinc in priori modo acceptae, partes urbis fiunt. Ut autem *Urbs* ex *Pagis*, *Pagi* ex *vicis junctis*, & hi ex unitis *villis* constant, quae ita inter se differunt, *Villa* est una domus rustica seorsim posita, & principium reliquarum omnium. *Vicus* autem est receptaculum constans ex *villis unitis* secus *viam*, ab utraque parte *plateam* constituentibus, unde *vicinitis* dicitur. *Pagus* vero est receptaculum constans ex multis *vicis*, primo ob *commoditatem fontis junctis*. At hodie *Vicus & Pagus* extra urbem ferè promiscuè sumuntur; in urbe vero *vicus* modo *suburbium* modo *palteum* denotat. Deinde succedunt *Partes Integrantes*, quo in locali consideratione etiam referimus *spatia & loca publica*. In *Aedificiis Privata* sunt *civium aedes*, quae ad *simplicitatem munditiam & commoditatem viciniae* debent esse *compositae*. *Publica* vero ut *variorum* sunt *generum*, ita *distribuuntur*. 1. In *Ecclesiastica* (*Sehrhaus*) quae sunt *religionis & bonarum artium causa* ad *homines informandos* extructa, ut *Templa & Scholae*. 2. In *Politica* (*Wehrhauser*) quae sunt *justitiae administrandae & defensionis causa*; illuc pertinent *curia Praetorium, &c.* huc referri possunt *Arces & Turres, muri & propugnacula, vallum & fossae*. 3. In *Oeconomica* (*Wehrhauser*) quae *negotiationis & voluptatis causa* instituuntur, ut sunt *Domus commerciales, Aulae, Symposiasteria, Diversoria, Orphanotrophae, &c.* 4. In *Mixta*, quae sunt vel *Phylacteria* ad *res horum statuum asservandas, vel alias ornatus & honestilufus causa* prostant, ut *Aerarium sacrum & Bibliotheca, Archivum & Cancel-*

Cancellaria, Ærarium publicum, Armamentarium & Granaria. Item Exoticothamix, Aquæ ductus, Theatra, Circi, Pyramides, Palestræ, Sphæristeria, &c. *Spacia* seu *Loca publica* sunt Cæmiteria, Fora, Plateæ, Pontes, &c. Huc etiam referri possunt *Suburbia*, & si quæ aliæ possessiones sint ex pagis agrisque extra & circa urbem. * *Civitas* olim in urbe continebatur, unde inter loca commorationis *Urbs καὶ ἐξοχὴν* ipsi respondebat, at hodie ampliato significato ad diffusiora terræ spacia se extendit, indeque *subjecta* urbe majora agnoscit, quæ in hac locali significatione etiam species ejus dici possunt. Est ergo *subjectum* civitatis, cui inhære solet, vel *Primum*, ut *Urbs* de qua ante, vel à primo *ortum* & urbe majus, idque tum latius, ut *Regio* seu *Provincia*, tum *latissimum*, ut *Regnum* & *Imperium*, materialiter accepta. 1. *Societas civilis est conjunctio voluntaria multitudinis familiarum ad civitatem vel Rempubl.* 2. *Estque duplex, Imperfecta vel Perfecta. Illa ad civitatis integritatem facit. Hæc ad Remp. illa in Collegiis & corporibus locum habet; hæc in universitatibus, quæ si locus commorationis accedit, sunt ipsæ civitates.* 3. *Collegium est Societas legitima trium pluriumve personarum ejusdem ordinis & conditionis ad bonum civitatis.* 4. *Est autem aliud superius & eminentius inter personas generosas, & aliud inferius inter aliquot cives.* 5. *Corpus est Societas plurium diversi ordinis in civitate ad bonum ejus promovendum.* 6. *Universitas est Societas perfecta ex Collegiis, & corporibus ad Remp. sustinendam. Et hæc cum addito loco commorationis est civitas, ut est Territorium, cujus.* 7. *Partes sunt Pagi (formaliter accepti) qui ex vicis, & hi iterum ex domibus, ut supra ad urbem dictum, constant.* 8. *Subjecta seu Territoria majora sunt Regio & Regnum. Regio est Territorium aliquot oppida & dominia continens. Regnum verò regiones aliquot complectitur.* * In Politica consideratione civitatis offertur hominum cætus unitus, qui quod ex pluribus concrevit, plura involvit, & anticipanda supponit ad intelligendam societatis civilis indolem, idque ob naturam aggregatam sub novo *Materiali & Formali*. Ad *Materialiale* pertinet 1. *Homo*, qui consideratur hic, ut *civiliter beandus*, ubi non tam ipse homo in se, quam juxta *actiones morales* dirigendas ad felicitatem spectatur. Nec 2. *Homo* attenditur hic vel ille,

14.

15.

B

fed

sed *hominum multitudo*. Hæc verò 3. ratione *formalis uniri* debet, & quidem per *diversas Societates*. *Societas* autem alia est ex *natura*, quæ ad familias & domos terminatur, & est considerationis *Oeconomica*: alia verò à *libera voluntate*, quæ ad civitatem & Remp. tendit, estque tractationis *Politica*, & utraque est perfecta, quæ utrique parti disciplinari adæquatur, & in iisque per se consideratur: vel *imperfecta*, quæ secundariò & consequenter illis accedit. *Illæ* scil. *Naturalis perfecta est* triplex, nam intercedit 1. inter maritum & uxorem. 2. Inter Parentem & Liberos. 3. Inter Dominum & servos, qui inter se uniti, *Domum Oeconomica Subjectum* constituunt, nec hujus sunt loci, nisi quatenus velut præsupposita & principia hic non incognita esse debent, quibus accedunt *imperfectæ naturales* tum in *Excessu* inter hospites; tum in *defectu* inter viduos, steriles, cœlibes, pauperes. Hæc verò scil. *civilis & imperfecta & perfecta* sunt, hujus loci, proinde in præceptis declarantur. * *Nomen* quid importet, ex superiore deductione satis perspicuum evasit, nam illa rem à primis initiis arcessivit, hinc constat, quod cum civitate per omnia coincidat, si tantum locus commorationis, ex præced. capite adjungatur. *Definitio* quoque cum Definitione civitatis præter illa verba convenit, & hanc sequuntur utrobique eadem causæ, unde nova declaratione hic non est opus. In *Fine* tantum est diversitas, quæ oritur ob diversam conditionem Societatis imperfectæ & perfectæ. Hæc enim quia voluntas omnem civium multitudinem ita unire intendit perfectè, ut materiale Reip. accedente loco habitationis esse possit, ad Rempubl. tendere dicitur, & *perfecta* vocatur, at quia voluntas hoc ipsum unica intentione in tanta multitudine assequi nequit, præmittit uniones hominum ad societates particulares, ut postea commodius ad universitatem colligi queant, & hæc proinde *imperfectæ*, ac ad civitatis integritatem facere dicuntur, ut in Collegiis & corporibus locum habent. * *Collegium* à colligendo rectius quam colligando dictum, sumitur hic non pro quavis consociatione, sed specialius pro consociatione personarum ejusdem ordinis & conditionis. Ac alias vocatur Synodus, Synagoga, Synedrion, Societas, Cætus, Sodalitas, Conventus, Tribus, &c. A corpore ut differt post ostendetur. *Definitur* autem per *societatem* ex Relatorum classe, quia in mutua consociatorum habitudine essentialiter consistit. *Differentia* sumitur ex causis. *Materiam* enim exhibent *persona*, eæque consideratæ tum ratione *Quantita-*

titatis, ad minimum 3. erunt in constituendo, licet unus constituti jura conservare & administrare queat: ratione *Qualitatis*, eadem debent esse ejusdem ordinis, id est Status in Republ. & conditionis seu professionis: ratione *Relationis* verò possunt esse superiores vel inferiores, nam ita ordinem non excludunt. *Forma* est in Consideratione, quæ vox hic non actum, sed statum denotat, & hanc sequitur communicatio & administratio. *Efficiens* sub voce legitima, Leges & Constitutiones offert, nam nullum Collegium institui potest absque magistratu, & quidem non ex quavis causa impellente, sed gravi admodum & urgente, qualis sunt Religio & publicum bonum. *Finis* ad bonum civitatis tendit. *Collegia* autem, ut sunt varia, ita distingui solent ratione status personarum in Republ. in *superiora* & *inferiora*. *Illas* sunt inter personas eminentiores, quale est Collegium Electorum R. Imperii, aliaque quibus addi possunt tres ordines Equitum militiæ causa instituti, ut 1. ordo Equitum aurei velleris ab Hispano. 2. Ordo Equitum Spiritus S. à Rege Galliarum. 3. Ordo Equitum Fasciæ cruralis à Rege Angliæ, &c. *Hæc* verò in Statibus Hierarchicis deprehenduntur, ut in Ecclesiastico inter Professores, Pastores, Studiosos, &c. In Politico inter Senatores, Judices, Milites, in Oeconomico, inter Tribus artificum & opificum. * *Corpus* accipitur hic non numericè, pro corpore Physico vel Mathematico, sed *collective* pro Civili seu Politico, quod constat ex pluribus personis, ceu membris diversis ad unum redactis, & hinc rectè *definitur* Societas plurium, non autem addi debet Collegiorum quasi ex iis constet, nam in Collegio potest etiam locum habere corpus, si ab altera parte accedant diversi ordinis personæ, in eo enim differt corpus à Collegio, quod ut illic sint ejusdem, ita hic diversi ordinis personæ, quæ imaginem Reipubl. in imperando & parendo præ se ferant, at ab altera parte sive imperantium & parentium Collegia esse possunt: in reliquis verè coincidunt. Est autem *Corpus* vel *Ecclesiasticum*, quod quatenus sub Politia est, huc quoque referri debet, & *Politicum* in specie dictum, quod utrumque imperfectæ hominis ejusdem ordinis per Collegia & corpora conjungunt, ita utrique in Collegiis & corporibus ulterius juncti *universitatem* exhibent, ad *Universitatem* complendam tendit. Ut autem hæc societates, quæ accedente loco commorationis *Civitatem* restituunt, & *Materiale* Reipubl. esse possunt, cui si præterea *Forma*, quæ est *Ordo* inter imperandum & paren-

18.

- dum addatur, ipsa oritur *Resp.* At licet constituere queat materiale Reipubl. Universitas, tamen non semper actu constituit ob defectum summæ potestatis, nam civitates dantur etiam plurimæ, quæ, quod alterius imperio subjectæ sint, hac prærogativa destituuntur. * *Partes illæ ad eundem modum se habent, quemadmodum in cap. de Urbe supra dictum, nisi quod quæ materialiter ibi capiebantur, hinc formaliter attenduntur & definiuntur. Sic Pagus est societas ex multis vicis. Vicus societas ex aliquot domibus unitis constans. Domus verò est societas naturalis unius familiæ sub eodem tecto degentis. Subjecta eodem quoque modo prima sunt vel orta, quæ etiam hujus societatis perfectæ species dici possunt. Primum est Civitas in specie dicta, quæ ut olim erat maximum, ita hodie minimum est ejus subjectum. Orta autem sunt reliqua ut Regio & Regnum. Hæc verò definiuntur Territoria, quæ vox simul involvit locum & jurisdictionem, ut utrumque iis vindicemus, ut autem civitas suum quodque habet territorium, ita quæ sunt ampliora ex prioribus præsuppositis constare deprehenduntur. Ordo Reip. est habitudo orta ex gubernatione summæ potestatis legitima ad status certi constitutionem ejusque administrationem. Hinc Formæ Rerumpubl. diversæ, & Media ferè omnia in Politicis dependent, nam à fundamento Regimine S.I. ut ab una vel pluribus personis administratum, diversimodè fluit ad terminum, oriuntur species Reipubl. A termino vero dependent mediatum constituendi statum Reip. tum administrandi, seu conservando illum, seu restituendo collapsum. * Ordo hic non intelligitur in genere quivis, sed restrictus ad gubernationem S. Potest. isque non naturalis est, verum moralis, quo actiones hominum in Reipubl. juxta legum conditionem diriguntur. Nec tamen spectatur ordinationis actus, qui præsupponit, sed ordini ipsius Status, ut frustra sint, qui Reipubl. formale in ordinatione potius quam in ordine locant. Ordo autem ille ex materiali suo præsupponit unionem multitudinis, additque respectum essentialem inter Imperantes & Parentes à gubernatione S. P. fluentem ad statum Reip. ejusque administrationem. Et hinc ex Relatorum indole definitur per *habitudinem*, determinatam à *Fundamento & Terminis*, quæ ut plenius intelligantur, evolvenda sunt *Relationis* hujus *requisita*, quæ *causarum* cognitionem simul præstabunt. Subjecta autem Relationis seu *materia* ordinis sunt cives diversi. *Fundamenta remota & cause efficientes**
- sum-

summa potestas, & ab altera parte obligatio ad subjectionem. *Fundamentum proximum seu forma* est gubernatio, seu habitudo, inde orta ad terminum, hinc *relata* sunt Imperantes & Parentes. *Terminus* autem & *Finis* est status certi constitutio & ejusdem administratio, juxta legum normam directa. *Hinc quomodo tota fere Politica deduci queat, facile colligere licet.* *Fundamentum* enim est S. P. ejusque gubernatio, qua illa vim suam exerit, quatenus ab imperantibus fluit ad certum Reipubl. statum, hæc ut Forma adeo essentialis est Reip. ut ea mutata mutetur simul Reip. facies: traditur autem personis imperantibus gubernanda ad terminum, quæ participantibus S. P. eamque administrantes numero variare possunt, unde statuum Reip. oritur diversitas, nam aliter procedit gubernatio ab una imperantis persona, aliter à pluribus, non quidem qua gubernandi actum, sed ordinem constituentium personarum, hinc etiam in Terminis status aliter constitutus, aliter denominabitur, cum autem Imperantes possint esse vel una persona, vel plures, eæque vel quædam, vel omnes, 3. erunt constituendæ Reip. *Species*, de quibus in sequentibus. *Terminus* ostendit, quæ media hic sint adsumenda ad assequendum finem Politicum, scilicet quæ Reip. statum constituunt, & ad administrationem ejus faciunt, quocumque id fiat modo legitimo. Et sic Rempubl. in genere delineavimus, quæ instar corporis mystici, veri vivique corporis membra analogica quoque participat. *Caput* enim Princeps est, seu is penes quem est rerum summa. *Oculi*, quibus videmus, sunt Consilarii, quorum ductum sequimur. *Lingua*, quâ loquimur, sunt Doctores, à quibus Leges & disciplinas accipimus. *Aures*, quibus audimus, sunt subditi, qui imperata faciunt. *Capilli* penduli sunt iujuria affecti, qui Regis opem implorant. *Collum*, quo capiti corpus adhæret, est amor mutuus Regis & Regni. *Cor* sunt familiares & intimi Reipubl. qui arcanis Consiliis adjutant eam. *Ossa*, quæ carnem fulciunt, sunt proceres & primores, qui onus Reipubl. sustinent. *Brachia* sunt equites & nobiles, qui hostem reprimunt. *Manus* sunt artifices, qui omnia instrumenta fabricant; & *Pedes*, qui omnia sustinent, sunt Agricola & operarii, qui victum & alia omnibus ordinibus subministrant.

I. Monarchia est Respublica, in qua unus imperat, seu potestatem summam legitime administrat, ut Imperium Rom. Regnum Suevicum, &c. In illa consideranda sunt duo. 1. *Persona imperantis conditio.* 2. *Modus perveniendi ad imperium.* II. *Dividitur autem*

in Regnum & Dominatum. III. Oppositum ejus est Tyrannis.

21. * 1. Hactenus de *Republ.* in genere egimus, sequuntur ordine *species*. Hæ verò oriuntur ex summæ potestatis gubernatione diversimodè administrata, quæ cum per naturam Relationis essentialis est *Reip.* & juxta numerum, temperantium tantum variat, inde petentur *species*, eruntque 3. vel unus, gubernat *Republ.* reliquis omnibus parentibus, unde oritur *Monarchia*: vel plures, unde *Polyarchia* prodit, in qua iterum vel quidam, iique *Optimates* tantum clavum tenent, unde *Aristocratia* nascitur: vel omnes simul imperant, unde *Democratia* surgit. Inter hæc prima & primaria est *Monarchia*, non tantum dignitatis ratione, ex antiquitate, firmitate & commoditate conspicuæ; & ordine Naturæ, quæ unitatem præponit numero, ac hujus formæ simulacra plurima in rebus exhibet: sed doctrinæ conditione, quæ hanc ut faciliorem & quasi normam reliquarum præmitti postulat, quia pleraque, quæ sub ea tractantur, & facillè intelliguntur, & ad reliquas quoque accommodari possunt, unde de ea prius agendum. Proponitur autem sub 3. præceptis, quæ singula sub distinctis capitibus seorsim expedienda: hic autem de *Definitione* inchoandum.
22. * 2. *Monarchia* dicitur ἀπὸ τοῦ μόνου & δεξείου, quod in ea unus solus imperet, unde duum viratus, & Trium viratus hic locum non habent. Aliis deducitur ἀπὸ τοῦ μόνου & δεξιῆς, quasi unum & solum notet imperium, scilicet eminent. Hoc modo capitur *Theologis* pro 4. mundi Regnis, inter cætera omnia eminentibus, à Daniele prædictis; illo verò *Politico* pro quovis unius imperio ordinato: & sic iterum sumitur, ut utramque simul speciem complectatur, vel ut oppositum, *Dominatum* Regnum tantum exprimat. Vocatur aliàs *Principatus*, *Regnum*, *Imperium*, quæ tamen etiam in alia acceptione sunt *species Monarchiæ*, ut hic differat ab eis tanquam *Genus* à *Specie*. A *Tyrannide*, quæ olim erat *Synonymum* ejus, & bonæ famæ vocabulum, hodie distinguitur, ut ab opposito. * 3. In *Definitione Genus* est *Republ.* unde omnia, quæ de ea superius dicta, huc trahi possunt. *Differentia* sumitur ab imperantium numero, unius scilicet *Imperio*. in quo essentialiter distinguitur à reliquis speciebus. Reliqua quæ adduntur, declarationis ergò ex *definitione Reip.* generali repetita sunt, ut applicatio monstretur. * 4. *Causa* eadem quoque recurrunt in *specie*, quæ erant in genere, nisi quod magis sint restringendæ. Unicum hoc tantum peculiarare habent, quod *S. Potestatis* gubernationem ad unum terminent, cujus

jus

jus proinde *Conditiones & Modus perveniendi ad regimen attendenda. Personam Monarchæ ejusque conditionem determinant Numerus, virtus, Genus, sexus, corporis decus & indigenatus.* * Numerus primo attendi debet. Juxta hunc Persona debet esse *Vna*, nam hoc ipso distinguitur essentialiter à reliquis Statibus. *Vnitas* autem non excludit Magistratus intermedios, ut causa solitaria non excludit instrumenta, sed tantum potestate æquales. Quod si verò duæ pluresve personæ summam imperii sibi vindicent Monarchia vel degenerabit in alium statum, ut in Regno Romanorum tempore ejecti Tarquini: vel una Monocrazia disjungetur in diversa regna, quæ singula summam sibi sumant potestatem, ut factum in Regno Judæ & Israël post Salomonem denatum, & in Imperio Orientali ac Occidentali nostro: vel singulæ personæ jus regni indivisum plena autoritate sibi tribuent, donec una reliquas devicerit, aut ad conditiones coegerit, uti res gesta est inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum: vel reliquæ personæ ab una priore dignitatem nominis seu potestatem vicariæ administrationis accipiunt non secus ac Rex Romanorum absente Cæsare; five jus æquale in diversis locis, negotiis aut aliis conditionibus dependenter participant, cujus exempla habemus in Imperatoribus priorum seculorum, qui sæpius Collegas & Socios imperii assumpserunt, unde status Reip. quandoque etiam non parum nutare cæpit. * 6. *Virtus* hinc spectanda, quæ Kkmanno fundamentum gubernationis salutatur, quia ex ea dijudicatur aptitudo alicujus ad imperium. Non autem consideratur hic prout hominem in genere decet, quemadmodum in Ethicis proponitur, nec ut Magistratui competit, ita enim ad media conservandi pertinet: sed ut personæ imperanti in hoc statu propria est. Sic requiritur ut Monarcha 1. in *Virtutibus emineat*, sitque *ita Lux & exemplar* populi. 2. *Vt affectu & amore paterno subditos prosequatur*, quod fiet, si 1. curam salutis publicæ seriò gerat. 2. *Justitiam æqualiter administret*. 3. *Temperamentum severitatis & clementiæ servet.* * 7. *Genus* attendendum ob congenitos virtutum igniculos, & invidiam declinandam, sed tamen postponendum virtuti. * 8. *Sexus* debet esse *masculus*, quia eò respiciunt & Deus & natura, dum virum ad gubernandum, foeminam ad parendum aptiores produxerunt. Est etiam sexus melior ad prudentiam & virtutem magis dispositus, sequior verò affectibus magis obnoxius. *Femine* ergo non nisi urgente necessitate in Regno successivo extraordinariè, & sub certis

25.

26.

27.

con-



- conditionibus ad regni gubernacula sunt admittendæ, si scil. 1. virtutibus masculis & heroicis sint instructæ. 2. Si Regnorum specialis consuetudo id permittat, ut in Anglia, Scotia, &c. 3. Si subditorum unanimis accedat consensus. * 9. *Corporis decus* consistit in externa specie, ut *statura pro-cera, forma decora, proportione membrorum debita ac robore virili*. Hæc si affuerint ad admirationem usque auctoritatem conciliant Principi, & subditos ad venerationem tacitè impellunt, quia plerumque hæc dotes corporis solent esse indices mentis. At omnibus tamen illis præferenda virtus, quæ præsens facile restituit jacturam formæ. * 10. *Indigenatus* tandem quoque respiciendus est, ob communis patriæ amorem, qui arcana quadam vi quasi colligat Principem cum subditis, & utrosque ad invicem per conscientiam magis obligat. Alienigena verò si assumatur, hoc cedit in contemptum gentis, & ille Remp. ad mores Patriæ, quibus assuevit, conformare studebit. Interim sub certis circumstantiis admitti potest, si scil. necessitas in metuenda seditione in statu regni æquali suadeat, & conditio regni id requirat: si Popularis non detur aptus & sufficiens ad componendas Reip. turbas, & Peregrinus sit virtute incomparabilis: sed tamen in illo casu sanguinis & familiarum certarum debet haberi ratio. 1. *Electio est mos ille & modus, quo rerum summa per suffragia aut sortem alicui demandatur*. 2. *Successio est modus, quo imperium ad defuncti Monarchæ primò vel proximè genitos aut agnatos defertur*. 3. *Præter hosce duos modos Regnum aliquando justo bello acquiritur, vel in pace occupatur, 1. titulo donationis, 2. titulo testamenti, 3. jure dotis, 4. jure fæderis*. * 11. Ad Imperii dignitatem ascenderunt nonnulli *immediatè*, quia à Deo ipso vocati sunt absque medio, velut olim David in V. T. alii verò *mediatè* suscipiunt regiminis fasces, ut plerique hodie per intervenientes personas medias. Et id fit vel *ordinariè* secundum modos supra positos, *Electioem & Successionem*, nam aut sanguinis defunctorum habetur ratio, aut eo non attento, ex multis æquè dignis, alius liberè designatur: vel *extraordinariè* tempore belli & pacis, modis & mediis licitis & illicitis obtinetur, de quibus omnibus juxta ordinem Præceptorum singulatim agendum est. * 12. In *Electioe*, quo res magis est ardua eò accuratius expendendæ sunt circumstantiæ. 1. *Quis eligere debeat*, scil. vel *Populus* vel *Optimates*, sive absque sive cum populi consensu, prout fert illud Reip. consuetudo. *Eligentes* autem debent esse
1. Ho-

1. Homines integræ fidei, non corrupti muneribus, adducti gratia, occupati præjudiciis aut affectibus. 2. Et illi juxta leges Reipubl. fund. procedant; ac 3. Requisita Personæ principalia semper respiciant. 2. *Quem* verò eligere debeant, & *qualem*, docent *Conditiones Personæ* ante notatæ, ut ratione virtutis *omnibus acceptum*, non verò quem fonticæ causæ Reip. exofum reddunt, ratione *Patriæ indigena*, ratione *sexus masculum*, ratione vigoris *Iuvenem*, non puerum, ob imperitiam rerum & affectuum dominium, nec *senem ob vitia huic ætati familiaria*, ratione *Generis Nobilem*. 3. *Quomodo & quibus mediis* fieri debeat electio, ostendit *Definitio*, dum suffragia & sortem nominat. *Suffragia* sunt vel *omnino libera*, ad quamcunque personam, velut olim Poloni suum Piaslum elegerunt: vel sunt *restricta ad certam familiam & leges*, qualia ob præstantiam suam hodie pleraque sunt in Europa. *Sors* verò in casu urgentis necessitatis tum demum adhibenda, quando paribus suffragiis plures sunt nominati, ad gubernandum æquè apti, ubi rationi & consilio locus non est, sed id non fiat per rem fortuitam, ut Darius eligebatur per hinnitum equi, verum per rem certam, ut calculorum aut schedularum signatarum distributionem. 4. *Cur* eligere debeant, indicat Reip. commodum, & interregni periculum averendum. 5. *Vbi* verò & quando instituenda *Electio*, per se liquet, nam cum necessitas interregni vel specialis consuetudo id deposcit, in publicis conventibus, ad vitandas suspiciones novum Reip. caput constituendum esse dubitari nequit. *13. Sunt, qui dubitant modum hunc esse legitimum, quia *Fortunæ* tribuit, quod prudentiâ maximâ dirigendum erat, & ineptos ad gubernandum sæpè obtrudere potest, sed quia consuetudo succedendi toto ferè orbe recepta, & quasi juris gentium facta videatur, luculenter insanire oporteret eum, qui per disputationes abrogandam pugnaret, nam cæde & sanguine refutaretur. Deinde habet etiam sua commoda, ob quæ multi non tantum inter legitimos modos numerant, sed etiam *Electio*ni præferre non dubitant, de qua re inferius dispiciemus. *Quis autem succedere* defuncto debeat, ut constet, notandum successionis jus ex inveterata consuetudine spectare, ad *liberos* ex legitimo thoro prognatos (non ad spurios nisi regnum bello partum ex voluntate Patris illis concedatur) & quidem non ad omnes ne regni vires dividantur, sed 1. ad *primogenitum* cui hoc privilegium & Scriptura S. & jus naturæ, indeque natus consensus gentium attribuitur, unde etiam in plerisque regnis peculiari de-

32.

C

nomi-

nominatione ab aliis distinguitur. Nec obstat sive ante sive post regnum adeptum natus sit, nam filii succedunt ratione naturæ, non verò dignitatis, aut temporis factæ acquisitionis habetur ratio. Si verò is ante parentem decesserit, spectat imperium 2. ad *Nepotem* ex primogenito, qui patris etiam præfertur, quod ut personam parentis sustineat, ita jus ejus in omnibus tueatur, quod si verò ille non detur, transit Regnum ordine 3. à primo ad *secundo-vel tertio-genitos*, qui supersunt. Hi si iterum nulli sint, in defectu stirpis masculæ vel 4. ad *fœminas*, in speciali Regni consuetudine, aliisque conditionibus; vel ubi non admittuntur, ad *proximos agnatos* devolvitur ac tandem ubi ex iis nemo superest, ultimo cedit illis, cum quibus per *pacta gentilitia*, quæ vocantur *fœdus & jus confraternitatis* contraxerant. In successione autem ex conditionibus personæ primariò attenditur *Familia & Patria*, secundariò *virtus sexus & forma*, secus ac fit in *Electio- ne*, quia hic, quem natura & ordo offert, citra contradictionem assumendus est, nec enim requiritur hic consensus subditorum expressus, sed tacitus sufficit. * Uter verò horum modorum præstet, ut paucis determinemus, dicimus terminos quæstionis considerari posse vel *absolutè* in se & quasi in idea, vel *applicatè* ad Remp. certam. Priori modo electionem successioni præferendam esse censemus, ob potiora ejus commoda & minora incommoda, quæ inde in Rempubl. redundant. Sed quia ita in existentia non datur, nullus ejus considerationis est usus. Posteriori vero modo quæstio iterum accipi potest, vel de *Republ. jam constituta*, de qua non opus erit quæsitio, quia quod usus & consuetudo Reip. per aliquot secula obtinuit, id sequendum, nec absque ruinæ periculo mutari poterit, vel de *Republ. constituenda aut mutanda*, & sic ut *electio successione temperetur*, consultissimum esse putamus, quia id quod uterque modus habet commodi, ea ratione ad Rempubl. derivari potest, quod verò incommodi præcaveri potest, & hoc in Rebuspublicis optimè constitutis ubique ferè obtinet, unde hunc etiam modum sub *mixti* nomine Politici maximè commendant. * Etsi ordinariè Monarchia per modos supra dictos defertur, tamen extra ordinem nonnulli quandoque imperium capeffunt, aliis modis & mediis, quæ si licita, nec juri divino & humano contraria probamus: Sin verò illicita repudianda esse censemus. *Licita* quæ sunt, in præcepto nostro proponuntur; suntque 1. *Occupatio bellica*, quæ fit, quando per bellum legitime susceptum & gestum Regnum

33.

34.

gnum

gnum acquiritur, nam quod ex hostibus captum est, id dominio & arbitrio victoris subicitur, ut inde fructum victoriæ capiat. Si verò bellum illegitimum fuerit, potiùs latrocinium dicendum, & qui occupat, Tyrannidis reus agendus erit. 2. *Acquisitio pacifica*, quæ fieri potest potissimum 4. modis. 1. *Per Donationem* inter vivos, quando Princeps unus alteri ditionem suam liberè offert, cujus exemplum habemus in Umberto Principe Delphinatus. 2. *Per Testamentum seu donationem* inter vivos & mortuos, ut vocatur, quando Princeps inorbundus, qui plenum jus habet disponendi de Provincia sua, alium regni hæredem legitimè instituit, non obstantibus istius Provinciæ statibus. Exemplum ejus proponitur in Atalo Pergami Rege, apud Just. lib. 36. &c. 3. *Iure dotis*, quemadmodum Domus Austriaca præ cæteris felix, multas sibi acquisivit Provincias. 4. *Iure fæderis*, quod pactorum gentilitiorum nomine venit. Est autem illud fœdus illustrium familiarum, quo alterius stirpe mascula extincta, ad alterum Patrimonium & Principatus certa successionis lege pervenit, quale viget inter Comites Palatinos & Duces Bavariæ, inter Duces Saxonix & Landgravios Hassiæ, ac multos alios. *Illicita contra media sunt*, quibus imperium acquiritur, vel per violentiam vel fraudulentiam: sed hæc ut ad Tyrannos potiùs pertinent, quam ad veros Monarchas, ita à nostris mediis exclusa volumus. 1. *Regnum est Monarchia, cujus gubernator legibus fundamentalibus & conditionibus sub accessum Imperij sibi propositis, vel etiam inspectoribus restrictam habet potestatem, eamque ad publicum bonum primò dirigit, quo pertinent Regna pleraque Europæa, ut Imperium Romanum & Regna S. Majora, Sueciæ, Dania, Gallia, Hispania, Britannia, ac nonnulli Principatus Italia.* 2. *Dominatus est cujus imperans liberam & legibus ac conditionibus absolutam habet potestatem, & eam non nisi secundò ad publicum commodum & simulatè dirigit. Huc pertinent Regna veterum ferè omnia, & hodierna Asiatica & Africana, & in Europa nostra Turcarum & Moscorum Imperia.* * *Divisio Monarchiæ in species suas supra jam proposita est, quæ plenius hic excutienda. Num a. verè sint species dubitari posset, quia ita multiplicarentur status, sed eo non obstante, quia in Essentialibus Monarchiæ conveniunt, & differunt tamen in administratione S. P. ex libera voluntate orta, vel legibus*

determinata, ut & intentionis ratione, ceu species analogicè assumi possunt. *Monarchia* Aristoteles 5. facit species, quæ tamen commodius fortè ad 2. dictas revocantur. Theologi & Politici dividunt in *Regna summa & subalterna*, sed sensu paululum discrepante. Illi summa vocant 4. eminentia mundi imperia, à Daniele sub titulo 4. Monarchiarum descripta, quæ sunt Assyrio-Babylonicum, Medo-Perficum Macedonicum & Romano-Germanicum, reliqua parallela omnia ad subalterna reducunt, quæ licet prædictis non fuerint subordinata ratione potestatis, tamen dignitatis ratione semper majora, si non superiora, comiter agnoverunt. Hi verò pro summis habent, qui extra territorium superiorem planè non agnoscunt, at subalterna vocant *Regna tributaria & feudalia*, quæ Rempubl. quidem propriam habent, at superiorem tamen extra territorium admittunt, ut Tartari, Circassii & Serifus Fessanus ac Marocinus Turcam. Siciliae aliquandiu Hispanum, &c. huc etiam analogicè referri possunt Status Imperii Romani ob liberam in territoriis suis, & ferè Regiam, quam participant ex concessione Cæsaris potestatem.

36. * 17. *Regnum*, quod aliàs *Monarchia in specie*, & *Monarchia regalis* etiam dici solet, describitur à duabus proprietatibus; 1. *Restrictione potestatis* per Leges aut Ephoros. 2. *Cura boni publici*, ex illa subditis sua constat salva libertas, ex hac affluit bonorum proprietas, quibus maximè differt à *Dominatu*, unde etiam tanquam optima *Monarchiæ* species per totam ferè Europam apud cultiores nationes obtinet. Hujus species statui possunt *regnum in specie*, *Imperium R.* quod per eminentiam eò pertinet, & *Principatus* per analogiam. * 18. *Dominatus* autem, qui aliàs dicitur *Monarchia dominica*, contraria habet requisita, & potestatem suam absolutam ad privatum commodum directam exercet in subditos suos, horumque liberos, tanquam servos & mancipia ad vitam & necem usque itemque in libertates & fortunas, quorum omnium nemo simpliciter se *Dominum* profiteri audeat, sed in *Dominatoris* potestate est, sive auferre & in alios usus convertere sive relinquere velit. Unde quia primo usus proprii rationem habet, & non nisi secundariò subditorum commodum respicit, ad *Tyrannorum* conditionem quodammodo accedit: at tales gubernandi formæ, præter hodiernam Europam ferè totum mundum adhuc fatigant. *Tyrannis est Imperium unius iniquum ad proprium commodum omnia dirigentis, neglectâ & afflictâ insuper Republ. ejusque membris.*

Tyran-

Tyrannidis nomen olim bonæ famæ erat Virg. 7. *Æneid.* & conveniebat cum Monarchia, at hodie à Pristino usu adeò degeneravit, ut ejus *Oppositum* nobis designet. Per Accidens autem hic tractatur ut ex opposito Monarchiæ indoles clarius dispalescat. Est autem ille unus scil. Tyrannus duplex, alius *titulo & occupatione*; alius *exercitio & administratione*. Ille per vim aut fraudem invadit Rempubl. ut Cæsar: hic illegitimè administrat eam ut Nero. Et uterque salute publica neglecta studet unicè privato commodo, ac præterea affligit subditos. Hinc illius quidem molimini, antequam capeffat imperium, ad necem usque resistere licet, ad hujus iniquitas, etiamsi jura divina & humana pervertat, ad mortem usque perferenda, quia potestas ejus est à Deo, licèt ipse ea abutatur per Tyrannidem, quod personæ vitium determinat Deus in pœnam subditorum.

*20. *Notas & mores Tyrannorum* enumerat Aristoteles undecim, lib. 5. Pol. c. 10. & 11. Sed non incommodè revocari possunt ad 3. capita, quia Tyranni astutè & sub speciosis prætexibus hoc spectant, ut omnia ad suos usus conferant & subditis eripiant, hinc istud agunt, ut 1. subditi semper sint infervili metu, nec aliquid contra moliri queant. 2. Ut viribus & opibus eos exuant. 3. Ut illi semper inter se dissideant, aut similtates alant. I. *Aristocratia est Respubl. in qua pauci iique optimates ex æquo administrant summam potestatem ad commune bonum, ut Respubl. Veneta & olim Carthaginensis, ac hodie Rhagusia. Item Hebræa ante Reges, & Romana post Reges ejectos, antequam ad statum popularem deflecteret: quibus addunt nonnulli Spartanam & Belgicam. Huc quoque referre non dubita Kkmannus Regnum Polonia, quando Ordinum potestatem superiorem Rege facit lib. 2. Pol. in illa iterum observanda veniunt duo 1. Personarum conditiones. 2. Modus perveniendi ad imperium. II. Oppositum ejus est Oligarchia.*

*21. Expendimus hucusq; statum Monarchicum, in quo unus rerum potitur: Sequuntur formæ Polyarchicæ, ubi plures simul participant summam potestatem, qui si fuerint pauci & Optimates in populo, nascitur inde *Aristocratia*, de qua jam agendum erit, quod fieri potest brevioribus lineis, quia reliqua ex tractatione Monarchiæ intelligi & repeti queunt. Antecedit autem Democratiam tum ordine Naturæ, quia per numerum imperantium in medio & mediocritate quasi constituitur tum dignitatis

38.

39.

- ratione, quia per prudentiam administrantium præ illa se commendat.
40. * 22. Aristocrata dicitur ab ἀριστος optimus & verbo κρατεῖν, quod significat dominari, quod in ea optimi quique Reipubl. præfint & dominantur. Vocatur aliis etiam Oligarchia, sed id rectius de corrupto paucorum statu intelligitur, adeoque oppositum notat. * 23. Definitio ex ante dictis ferè cognoscitur, nam genus ex tractatu de Repub. in genere satis innotuit. Differentia absolvitur tribus requisitis, quorum duo communia, qualia sunt *fundamentum* Reip. *summa potestas*, & *finis*. *Bonum publicum*, in superioribus itidem satis excussa. Tertium verò quod *proprium* est & *constitutivum* hujus speciei, scil. *gubernari à paucis ex æquo*, hic uberius juxta requisita apposita declarandum. * 24. Personæ imperantes hujus speciei statuuntur *paucæ*, eæque *Optimates*, & *ex æquo* gubernantes Reimp. unde resultant tres earum conditiones. *Quantitas*, *Qualitas* & *Relatio*.
41. * 25. *Quantitas* exigit, ut imperantes sint numero *pauci*, quo discernatur à Democratia, nec degeneret in Oligarchiam, si major pars regimen affectet. Numerus verò certus determinari nequit, sed ad Reip. rationem & consuetudinem loci hic respiciendum, per quam plures hic, pauciores alibi agunt. Quò verò pauciores præfuerint, eò firmior in gubernatione concordia sperari potest. Interim Diarchia studiosè cavenda, ob periculum mutationis in Monarchiam, si alterum alter suppresserit. * 26. *Qualitas* deinde requirit, ut pauci illi sint *Optimates*, qui licet ponantur in idea, tamen quia in existentia non dantur, requiruntur non absolutè tales, sed comparatè, id est, qui respectu reliquorum minus sunt mali, & si in uno aut altero non sit optimatum ratio, sufficit, si in universis deprehendatur. Potissimum autem in illis spectari debent duo, ut sunt 1. *virtus & experientia*. 2. *Genus & opulentia*. Illa attendi debet ut fundamentum, ex quo dependet aptitudo ad gubernandum; hæc verò ad majus Reipubl. emolumentum negligi non solet. Ex virtutibus præter communes omnibus, seorsim requiruntur ab iis, 1. *ut sunt Imperantes*, *Prudentia* in consiliis & *justitia* in factis, 2. *ut sunt persona exemplares*, *Gravitas* in moribus. 3. *Ut sunt plures & concordia*, qua velut anima inter se ad unum colligantur: & *Taciturnitas*, ne secreta in vulgus dimanent. Cum autem propter simulationem virtutis hæc cognitu sint difficilia, secundariò respicienda *Nobilitas & divitiæ*, quia 1. præsumuntur in iis majora virtutum semina & exercitia. 2. Sunt Amantiores Patriæ, in qua honores & fortunas suas habent, unde
- eorum

eorum interest statum ejus manere salvum. 3. Pauperes contra se non multum patriæ debere putant, quia labore & industria ubivis cum victu patriam inveniunt. * 27. *Relatio* porrò inducit *æqualitatem* ratione *potestatis*. quæ semper indivisa manet, & exercitium ejus ex æquo competit non omnib⁹ singulatim, sed singulis universim, quatenus unum corpus constituunt: at ratione *Dignitatis*, *Ordo* inter membra optimè consistere potest, ut unus sit primus, alter secundus, sive accessus, sive officiorum, præsertim administrantium respectu habito. * 28. *Modus perveniendi ad imperium* unicus est electio, nam per illam designari possunt optimi quique in populo. Successio autem & alia hic locum non habent. Quomodo verò Electio sit instituenda, & quæ ad illam pertineant, cognosci possunt ex iis, quæ dicta sunt ad Monarchiam, hoc tantum observari meretur, quod ut ad plures terminatur, id eligentium ratione, qui sunt vel *populus* vel *optimates*, duplicem, loco divisionis, sistat Aristocratiam. Aristoteles quidem 4. species ejus enumerat, at quod ipsi ejus affectu fateri debent, non satis ad specificam rationem disjunctas. In hoc autem statu præstat Magistratum superiorem esse perpetuum, ut in Monocrazia: Inferior autem ambulatarius esse potest velut in Democratia. * 29. Oligarchia est imperium paucorum divitum, qui per vim & injuriam illud ad se transferunt, & reliquis æqualibus exclusis, vel multitudine oppressa ad privatum quæstum seditiosè administrant, ut Romæ sub Decem-Viris, & Athenis sub 30. Tyrannis factum. Convenit ergò in numero gubernatorum cum Aristocrazia, sed differt maximè qualitate eorum & fine, quia Optimates non sunt, nec ad publicum bonum respiciunt, unde ad oppositum ejus deviat. 1. *Democratia est Respubl. in qua universus populus, vel maxima ejus pars, summam potestatem legitimè administrat ad commune bonum: Ut Resp. Atheniensis, Spartana, (licet sint qui ad Oligarchiam reponant) Romana post ereptam Senatui potestatem: Genuensis, Helvetica & Belgica, per confæderationem ad unam quasi redacta.* * 30. *Democratia* nomen habet à *δημο* & *κρα* *populus* & *κρα* *dominari*, quasi diceret populi dominium. Aristoteli notat oppositum, qui hanc formam perpetuò Politicæ seu Reipubl. nomine in specie designat. *Aliis etiam vocatur Timocrazia*, sed de nomine non est quod hic litem moveamus, si modò res teneatur. * 31. *Definitio* ex superioribus formis satis quo-

45.

46.

46.

47.

48.



quoque constat, quid nempe inferat *Genus Resp.* & quæ *Differentia* aggerat requisita communia, summæ potestatis ejusque legitimi exercitii ad communem usum. Hoc unicum tantum expendendum restat, quo essentialiter differt à reliquis speciebus, scil. imperantium numerus, qui hic est *totus populus seu maxima ejus pars*. *Populus* notat omnes cives, qui non sunt ex numero Senatus, hinc Senatus, populusque apud Romanos junctim ponuntur, penes hunc est potestas status, ut penes dilectos ejus administratio, quocunque vocentur nomine sive Senatus, sive Ephorum aut alio. Aliquando pro toto populo clavum tenet maxima pars ejus, ut excludantur operarii, advena, servi alique, qui fortè per societates civitati non sunt aduniti. * 32. Hujus itidem notandæ veniunt *conditiones* & requisita, nam *modus perveniendi ad imperium* hic non indiget, explanatione, quia quotquot accedunt membra Reipubl. sive per nativitatem, sive aliunde jus civitatis obtineant, totè ipso accedunt quoque imperantium numero. * 33. *Personæ illæ secundum Quantitatem* omnes simul sunt imperantes & parentes, nam universi imperant singulis, & singuli parent universis, tanquam membra corpori communi: hic verò ubi ut imperantes tantum attenduntur, in duplicem statum Reipubl. conservant 1. in *Gubernatione ipsius summa potestatis*, in qua secundum *Relationem* omnes sunt *æquales potestate*, scil. ipsâ, & orta inde libertate, non autem dignitate & virtute: hinc æqualitas, quæ Arithmetica esse poterat, si omnes æquè digni & habiles essent ad gubernationem, fit Geometrica, quæ libertate omnibus manente, secundum *Qualitatem* respicit personarum *virtutem & merita*, non autem *Genus & divitias*. Secundum *Actiones* omnes Comitiiis interfunt, & suffragia ferunt idque duplici modo consultationis, vel viritim & juxta capita, vel centuriatim aut tributim juxta societates, quod præstat: & alia, quæ sunt summæ potestatis expediunt. 2. In *Constitutione Magistratus seu personarum administrantium*, quæ necessariò hinc requiruntur, quia populus universus sine confusione nec regnare nec ad jus dicendum semper convenire potest unde constituere debet, qui nomine suo administrant Magistratum, quod fit per suffragia aut sortem. Magistratus autem defertur vel uni, ut apud Romanos Dictatori, apud Atheniens. olim ἀρχοντι, apud Belgas Principi, & accedit status per administrationem, ad Monarchiam, vel pluribus, ut apud Helvetios, ac olim Romanos & Spartanos, & assimilatur

Aristo-

Aristocratia. Sæpè etiam ad utramque formam accommodatur administratio, ut factum in Rep. Spartana & Romana ubi Magistratui dignitas, Senatui autoritas, & populo potestas assignabatur. Magistratus autem debet esse ambulatorius, ut ad omnes (habiles) deveniat ordo ob seditiones & turbas vitandas. Officium v. ejus duplex erit, ut 1. vota populi in gravioribus colligat, & 2. in levioribus etiam sententiam dicat. *34. Species Democratia Aristoteles constituit 5. sed quia ab Essentialibus non petit differentias, rectius ad 2. quasi species revocamus, nam ut plebs omnem habet & exercet potestatem consultationum & judiciorum absque Senatu, qui modus viguit Athenis & apud quosdam ex Helvetiis, aut habet potestatem Magistratum ordinandorum & corrigendorum, qui constituti illam exercent, ceu fit apud Belgas, Genuenses, Helveticos quosdam, & (analogicè) imperii civitates plerasque. *35. Ochlocratia est imperium plebis turbulentæ, quæ posthabita salute Reipubl, proprio commodo invigilat, & absque legibus dominata Reipubl. evertit. Diffinguitur ergò à Democratia verâ 1. per turbulentiam, nam justitiæ & honestatis ratio non habetur, nec habiles, sed inepti & imprudentes plebei; ad imperium admittuntur. 2. Per finem, qui iterum ad privatum quæstum tendit. Hinc pendet. *36. Quæ forma Reip. ex hisce sit optima & præferenda? Resp. Formæ Rerumpubl. considerari posse, sunt vel *absolute & in thesi*, vel *relative & in hypothesis*. Hoc modo nullam alteri simpliciter præferendam putamus, sed respiciendas esse circumstantias loci & temporis, ac populorum mores & ingenia, secundum quæ ut alii Regio aut herili, ac civili modo gubernari per naturam postulant. Ita Respubl. est informanda; illo modo quævis forma habet peculiare quid, in quo præstet, vel iterum cedat reliquis. Hinc si in *Idea* considerentur formæ ut esse debebant, non dubitamus præferre Monarchiam ob majora, quæ habet commoda & minora incommoda; at quia ita non datur *in existentia* suademus *Monarchia formam temperandam esse per administrationem reliquarum formarum*, ut, quod hæc incommodi habet, per illud temperamentum prævertatur, & quod reliquæ boni participant, per administrationem dictam huc quoque attrahatur. 1. *Datur status mixtus ratione administrationis junctæ cum forma Reipubl.* 2. *Status mixtus est Reipubl. temperatura, qua forma ejus per administrationem ad alterius quoque formæ modum attemperatur, ut quod metuendum erat mali, ex forma, per admi-*

52.

53.

54.

D

nistr-

55. *nistrationem caveatur, & quod bonum erat in altera, per eandem attrahatur.* *37. Haecenus egimus de *speciebus* Rerumpubl. ipsis ratione *Essentia* spectatis; illæ verò ratione *existentia*, prout sunt in mundo propter accedentem administrationem variis modis inter se attemperantur, nam hodie ferè nulla est ordinata Respubl. quæ non mixturam aliquam admittat, imò quò magis est mixta eo ordinatio ferè statuitur: proinde de *mixtura* illa post species in se explicatas agendum non quasi peculiarem formam à reliquis distinctam constituat, sed ut constet, quomodo per administrationem in mundo variatæ existant. Resp. *38. Ad
56. *Existentiam* probandam explicandi sunt termini *Status & mixtionis*. Vox *Status* diversis modis accipitur à Politicis, & aliàs tribuitur 1. *Materiali* Reipubl. sicque notat in imperantium genere *personas administrantes & restringentes* Rempubl. seu proceres Regni, ut in Monarchia Rom. Electores, & reliqui ordines dicuntur *Status Imperii*: In *Polyarchicis* verò *Regentibus* assignatur, ut in Belgio videre est. In *Parentium* classe significat *Ordines & genera vite*, ut *Status Nobilium, civium, &c.* 2. Applicatur etiam *Formali* Reipubl. & sic capitur vel abstractè, pro ipsa habitudine summæ potestatis, quæ in relatione consistit, & cum forma coincidit; vel *concretè*, ut involvit exercitium ejus, & administrationem alterius formæ unà includit. Sic ratio status urgetur, consiliiarii status constituuntur. Priori modo in *Essentia* spectatur, at posteriori in *Existentia*, non secus ac *Elementa* in *Physicis* tractari solent, primò ut sunt in se & natura sua, & deinde ut existunt in mundo. * *Mixtio* fit vel cum *mutatione speciei*,
58. qualis ponitur in *Physicis* mixtis vel *citra mutationem*, qua manente forma alterius accidentia ob evidens bonum accersuntur. Illa hic locum habere nequit, quia dependeret à summæ potestatis communicatione cum aliis formis: At hoc fieri non potest, nam S. potestas communicaretur, aut ut tota, aut per partes, non tota, quia ita ordini (Reipubl.) induceret confusionem, quod absolum, nec per partes, ut hæc illi aut alii competat, quia consistit in indivisibili. Alius autem modus vel fingi nequit, nisi quis summam potestatem cum ejus juribus tanquam signis & effectis, & formam cum administratione confundere velit: & hæc esse distincta facile patet, nam forma est in *Relatione Majestatis* ad *personas Imperantium* (personalis) cum respectu *Essentiali* ad gubernandum: administratio verò est actio, quæ accedit *Relationi*, eique *accidentalis* est, proinde illa manente

nente indivisâ, hæc multum variari potest, quemadmodum ex formarum Polyarchicarum administratione ad oculus patescit. Sic summa potestas habet se ad jura inde denominata, ut anima ad potentias: quemadmodum ergò illæ formaliter spectatæ non possunt separari ab anima, nec inter se dividi, attamen materialiter possunt communicari, corpori & certis ejus organis, per quæ vim suam exerant: ita & majestas, quæ in toto imperio una & indivisa semper manet, jura sua diversa proceribus Regni tanquam membris diversis communicare, & vim suam exerere valet, at talis mixtio ex administratione vel jurium majestatis, materiali communicatione variata non infert speciei mutationem, quia S. potestas & jus imperandi semper manet penes certas personas, quæ formam determinant, exercitium verò ejus & ratio administrandi tantum variationem introducunt. Hæc ergò, quæ fit citra speciei mutationem admitti debet & potest. * 40. Hinc jam liquet, si vox *Status abstractè* sumatur, & in *Essentia*, prout dicit habitudinem istam S. potestatis cum respectu Essentiali gubernationis, defluentis ex imperantiũ numero competente, non posse misceri ad primam mixtionis modum, quin statim mutetur forma in aliã, quæ hanc ceu diversam excludat. At v. si *concrete* accipiatur, & in *Existentia*, prout mixturam secundi modi alterius formæ administratio Reip. ob insigne comòdum accedit, dari, experientia ipsa convincit. Ita verò hic accipi debet, quia Politicus in mediis administrandæ Reipubl. non tam spectat formas abstractas, quàm administrationem unã conjungit, eoque præcepta sua utrique accommodat. Nec verò ita speciem seu formam Reipubl. diversam facit, quia quod illas essentialiter constituit & distinguit regimen summæ potestatis in numero imperantium diverso, hîc manet, & accidentale quoddam per mixturam aggeritur. Nihilominus tamen in Politicis seorsim proponendus est, ut exploratum habeamus, quomodo species Reipubl. attemperare possint, & debeant, ut pro conditione Reipubl. optimus administrandi modus eligatur, & pericula, quæ extimescenda ex forma evitentur. Ex quib⁹ jam dispalescit, quid dicendum sit ad diversas, quæ hic implicantur quæstiones, An scil. detur status mixtus exclusâ vel inclusâ administratione? An si detur, speciem peculiarem constituat, & si id non faciat, in Politicis tamen tractari mereatur? Quæ omnia ex dictis determinari possunt. * 41. *Definitio* sumitur ex modo & fine mixtionis, eaque satis est perspicua, si tria prius expediverimus, 1. *Originem*, 2. *Causas*,

59.

60.

D 2

& 3.

61. & 3. *Diversitatem* Statuum mixtorum. * 42. *Origo* perdet ex collatione formarum ad invicem, & consideratione ejus quid boni habeat, quidve periculi minuetur, quod per administrationem reliquis accommodari queat. Sic *Democratia* ob æqualitatem & libertatem est jucundissima: quis enim non facilè se aggregaret illi cœtui, in quo scit suos non nasci ad servitutem, sed si virtuti studeant, aliquando ad clavum Reipubl. admoveri posse? Imò commendat hanc formam, quòd quicquid ferè præclare gestum, sub hac formâ gestum sit, ut apud Athenienses, Spartanos, Romanos. *Aristocratia* verò ob salubriora Optimatum consilia est prudentissima, unde nullæ verò Respubl. diuturniores citra mutationem extiterunt, exemplo Reipubl. Venetæ. At *Monocratia* tandem est perfectissima & tutissima, ob convenientiam cum Deo & natura, contra verò *Monarchia* facilè in Tyrannidem degenerat, si unus illa potestate sua abutatur. *Aristocratia* ob invidiam & æmulationem favoris ac fortunæ ad diffidia maximè propendet, & *Democratia* ob multitudinis inconsideratum agendi modum, mutationibus & seditionibus publicis obnoxia est. Hinc ita temperanda est Reip. forma, ut per administrationem, quod mali habebat, caveatur, & quod altera habebat boni, assumatur. * 43. *Causæ* mixturæ sunt duæ, 1. est *Administratio*, quia alii possunt habere S. potestatem, & alii administrare ad modum alterius formæ, quod evidens est in statibus Polyarchicis, ubi Optimates & populus habent; at Princeps vel Magistratus administrat potestatem, ut apud Venetos, Belgas, aliosque, &c. 2. *Restrictio*, quia potestas status potest esse determinata, ad certos ephoros aut leges fundamentales, quod in Monarchiis crebrò se offert. Sic R. Imperium ad Electores & leges fundamentales est restrictum. Hincq; * 44. *Diversitas Statuum mixtorum* determinari potest, nam *Monarchia* potest administrari *Aristocraticè*, ad cavendam Tyrannidem, & invenienda meliora consilia, ut in R. Imperio aliisque Regnis Europæis: Non autem facilè *Democraticè*. *Aristocratia* quoque potest administrari *Monarchicè*, ob cavenda diffidia & concordiam stabiliendam, ut apud Venetos, Polonos. Nec iterum id facilè *Democraticè*. *Democratia* tandem administrari potest vel *Monarchicè*, ut apud Athenienses, vel *Aristocraticè*, ut apud Belgas, Helvetios, vel utroque modo simul, ut apud Spartanos:

Tantum.

COROL-

COROLLARIA.

Huc usque harent Controversiæ nondum accuratè decisa, de Principiis actionum humanarum, sed esto, macerârint torserintque se hæctenus Philosophorum insignium ingenia. Nos tamen quantum permiserit infirmitas eò annitemur, ut superatis tot sententiarum naufragiis certè alicui sententiæ adstipulemur. Antequam verò certi quidpiam hac de re in medium producamus, præsciendum prudenter ducimus neutiquam immediatè ad principia mentem nostram devolvi posse, quandoquidem nemo hominum quicquam velle possit, nisi primùm hoc recognoverit recteque secum pensitârît, an recta ratione prævia hoc expediri possit an minus. Hinc antequam volitionis habita fuerit ratio, objectum primò proponitur, propositum cognoscitur, idque vel per sensus externos vel internos, donec tandem ad ipsum deferatur intellectum, indeque ad voluntatem, qui expetibile censet. Antequam verò actu expetat, Consultatione prudenti opus statuit, hinc ad intellectum, iterum iterumque remittit, ut Consultatione facta tandem decernat, an desiderio consequendum sit an minus. Vnde duo resultant gradus, qui principii nomine venire vulgariter consuescunt, ut Consultatio & Voluntas, quibus addere solent liberum arbitrium quò quis indifferenter se habet ad Velle & Nolle.

QUÆSTIONES.

1. An rectè distinguatur inter Majestatem realem & personalem?
Negatur.
2. An Iudæi ferendi sint in Republica Christiana? D.
3. An Magistratus in statu innocentiæ fuerit necessarius A.
4. An nulla Lex obliget nisi primum cognita fuerit? Dist.
5. An homo in hac vita felix esse possit? A.
6. An detur summum malum? A.

D 3

Vul-

I.

Vulgare est, quod *Di nūl vendant absque labore;*

Et lolium in pigri crescere constat humo.
ZWICKIUS hinc fatagit libros tractare Sophorum,

Legibus augustis sicque parare viam:
Eximium virtutis opus, quod fœnore magno
Gratia Supremi larga beare velit.

hoc

Præstantissimo Dn. Respondenti, Convictori suo perquam dilecto, appreciatur

Iohannes Gravius D.
& Professor Jur. Ordin.



II.

Humanum corpus, parvus quasi dicitur Orbis,
Ac ejus præsentatur, Respublica, membris.
Id conservatur feliciter hisce duobus:
Orando atque laborando; nec plura requirit.
Sedulitas itidem tantum pietasque, beata
Constituunt, tum conservant, TE Judice, Regna,
Hinc merito falsas artes, Hoc Themate, damnas:

Alte.

*Alterutro saltem nam deficiente, necesse est,
Corruat omnis homo, Respublica, post quoq; mundus.*

Præstantissimo atque Literatissimo Dno. Respon-
denti, Amico, Conterraneo, Contubernali ac
Commensali suo charissimo, de eximiis hisce
studiorum suorum primitiis, animitus gratula-
tur, felicia quæque apprecatus

Johannes Balthasar Kupfferschmid.

III.

U*Rit maturè, quod vult urtica manere,
Non inconcinnè vulgata parcœmia jactat:
Sic spem doctrine commonstrat ZWICKIUS
amplæ,
Dum cathedram scandens maturè, semina
spargit.
Progressus ter sit felix, nec gloria deêrit
Sperati, dulcis quem Musa reponit, honoris.*

*Andreas von Mandelslo/
Bremensis.*

IV.

L*æti volantes cor niger Solis tenet
Aries equos: demortuæ
Gemmae refundunt arbores suavissimas.
Gramen redit patentibus
Campis. Novus Sophia tuos nunc excitat
Artus amor. Pulcherrimum*

Pruden-

Prudentia civilis, jam sub Praside

Docto, sciens opus facis.

En publicum domestica tua exhibes

Industriae specimen Tuis.

Non Gressibus Cheloniis biverticem

Tu Phocidis montem petis.

Laudabilem Charissimus nutu probas

Industriam Pater tuam.

Conatibus nati gaudio mater favet.

Num Murcia nepotulus

Doctam cathedram publicè faciet loqui?

Non. Noster aſt hic ZWICKIUS.

Factum Pater doctum non probabit hoc?

En indolem dignam laude?

Tuis, Amice maſte cæptis optimis,

Nectunt corollas laureas

Novensiles fronti tua, Phæbus quibus

Incinget olim tempora.

Ῥημῶσυνον Jambicum hoc

*Τιμῆς ἕ Φιλίας ἕνεκα
positum à*

*Johanne Gothofredo Horrefio,
Rheno-Braub.*

V.

UT tua Te, voveo, Sophiae conamina magna
Ad summum laudis promoveant apicem.

hisce paucis

*Eximio atque Doctissimo Dno, Respondenti, Ami-
co, Conterraneo & Consalino suo suavissi-
mo multum felicitatis apprecatur*

Johannes Matthæus Münch.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle
002 381 974

3




sb.

7360



A **S**piritus sancto et ceperunt loqui
humana dicit suo illud. Eua



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Politica,
EIPUBLICÆ
UTIONE,
ies, scilicet Monarchiam,
democratiam Divisione.
am
E DEO,
SIDE
GRAFTIO,
lico Ordinario
defendet
RMANNUS Zwick/
nicofurtanus.
sophorum nova
Iunij.
SIS KERNERIANIS,
LVI.

